SUB

AUSPICATISSIMO REGIMINE,

AUGUSTISSIMI, SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FRIDERICI GVILIELMI,

REGIS BORUSSIÆ, MARCHIONIS BRANDENBURGICI, S.R.I. ARCHI-CAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, &c. &c. &c.

Patriæ Patris, Domini sui longè Clementissimi ac Nutricii Munificentissimi,

Hanc seriem Prælectionum per Semestre æstivum Anno MDCCXIX.

Exhibent

PROFESSORES ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.



REGIOMONTI,
Literis REUSNERIANIS.

JOHAN. Amsel/ D. Prof. Jur. Ord. Sec. h. t. ACADEMIÆ RECTOR, finen *Practico* imposuit *Collegio*: nunc *novum* est exorsurus neque minus in *publicis* Pandectarum *lectionibus* b. c. d. *crastino die*, *horâ secundâ*, *pomeridianâ* est perrecturus.

BERNHARDUS von SANDEN, S. Th. Doctor & Professor Primarius, elapso semestri *in Collegio Biblico*, post Discursus Præliminares *de Necessitate*, *Utilitate & Dignitate Studii Biblici in Partis Generalis Sect. 1.* tractavit de 1. maturè inchoanda Lectione Script. Sacræ 2. de seligendo certo Exemplari Bibliorum 3. observanda Distributione Librorum Sacrorum & Partitionibus majoribus & minoribus 4. Præfationibus & Summariis Biblicis in genere. 5. Autore, argumento & scopo cujuslibet Libri V. & N. T. in specie. 6. Sciagraphia & Tabellis Synopticis ac subsidiis Mnemoneuticis 7. De Ordine & Partitione Lectionis. 8. De Harmonia & parallelismo Textuum Sacrorum. Nunc se ad alia accinget, in quibus Lectorem Philobiblicum instruet, quomodo in ipsa Lectione cum fructu progredi possit. Fiet hoc B. C. D. hora ordinaria sc. tertia pomeridiana, die crastina initium capiendo. *Disputationes* quoque *in Theologiam Positivam Dogmaticam* continuabit & quod propter occupationes Rectorales hactenus fieri non potuit, per instans semestre sedulò curabit, ut expediatur.

HENRICUS LYSIUS, S Theol. D. & Prof. Ord. Sec. cœptas lectiones exegeticas in epistolas Pauli ad Tim. divina assistente gratia ad finem perducet. Quoniam vero per hoc semestre varia impedimenta ex mandatis regiis futura observat, hora solita antemeridiana decima semper sui absentis vicem Excellentissimorum Collegarum alius supplebit. Disputaturis quoque officium suum offert.

CHRISTIANUS MASECOVIUS, S. Theol. Doct. & Prof. Ord. Tert. publicis in Lectionibus super *Joh. Wandalini brev. Exposit. S. Theol.* pervenit ad Cap. IX. usque, ac præterea in iisdem Disputationibus tribus prioribus: *de Disposit. ex L. N. ad supernaturalia*, quatuor novas adjecit, Disp. V. *de Curios. Theol. Van. & pericul.* ob defectum Respondentium unam saltem adjicere potuit. Per hoc semestre B. C. D. horâ consuetâ â IX. ad X. Wandal. ad finem perducet, nec non utriusque generis Disputationes, prouti Respondentium numerus sese objecerit, impigrè continuabit. Privatim post octiduum *Collegium* aperiet *Homilet. Practicum*, paratus quoque *Historiam Ecclesiasticam*, eô quô diu jam intimavit modô, pertractare, modò auditorum ad hoc studii genus, uti luculentissimum, ità Theologo maximè necessarium, ardorem, quem exoptat, deprehenderit.

CHRISTIANUS SAHMIUS, S. S. Theol. D. & Professor Ordinarius Quartus, occupatus nunc est in tradendis præcipuis Theologiæ Moralis capitibus juxta præcepta Decalogi, quem laborem diligenter continuabit, & deinde ad Explicationem Symboli Apostolici progredietur.

JOHANNES ERNESTUS SEGERS, S. Theolog. D. & P. P., h. t. Theologicæ Facultatis DECANUS, Lectiones suas publicas in Evangelia Dominicalia Homiletico-Practicas, die Mercurii horâ X. matutinâ, methodô consvetâ, B. C. D. supplebit.

HENRICUS Liedert/ S. Th. D. & Prof. Extraord. in lectionibus publicis ab hor. 1-3. d. Merc. & Sabb. Historiam Ecclesiasticam explicando & repetendo inculcabit.

IO. IACOBUS QVANDT, D. & P. P. publice XVIII. Dissertationes Sacras Sylloges Fechtianæ ventilavit; reliquas futuro semestri subjunget. Privatim fundamenta Theologiæ denuo ponet, horisque statis sedulo continuabit, quantum per occupationes sacras permissum fuerit.

JOHANNES BEHM, S. Th. D. & P. P. in Lect. publ. ad doctrinam de Naturarum in Christo unione pervenit, in qua proinde hora III. consveta proxima die Mercurii B. C. D. perget. Privatim Historiam Eccles. N. T. absolvit, Collegium autem Theticum & Homileticum ad finem ferme perduxit. Jam denuo oblata occasione de novo Theologiam Theticam hac ipsa septimana exordietur. Nec in Homileticis cuiquam suam denegabit operam.

CHRISTOPHORUS Langhansen/ S. Theol. D. & P. P. de divina scripturæ Sacræ autoritate publice ex professo disserere animum induxit: privatim Lectiones Theologiæ Moralis absolvet, quibus finitis de novo Collegio mentem suam aperiet.

JOHANNES Stein/ U. J. D. & Prof. Prim. prælectiones publicas, ad Brunnemanni memoriale præcipuarum legum Codicis, sedulò continuabit, propediem collegium examinatorium ad eundem Auctorem cum lectorio juncturus. Quando illud inchoaturus sit, è tabula publica significabit.

DAVID STAVINSKI, U. J. D. & Prof. Ord. Tert. Lectionibus publicis, ad materiam successionis ab intestato, prout in præced. Catalogo constituerat absolutis: jam per hoc semestre æstivum *publice ab hora septima matutina ad octavam singulis diebus* ☽. ♂. ♃. & ♀. *MATERIAM OBLIGATIONUM CONTRACTUUM ET DELICTORUM EX IPSO TEXTU INSTITUTIONUM JUSTINIANEARUM* explicabit: privatim vero *in Cursu Juris Universi Lectiones Pufendorffianas & Hoppianas* ad finem B. C. D. perducere allaborabit & *Hebdomadales Disputationes singulis diebus Sabbathi* more solito continuabit: privatissimis quoque laboribus sedulo erit intentus.

ZACHARIAS HESSE, U. J. D. & P. P. p. t. Facultatis Juridicæ DECANUS, absolutis, quæ restant ex prælectionibus præteriti semestris, per hoc æstivum ad B. D. Stryckii examen Juris Feudalis collegium inchoabit.

BALTHASAR TILESIUS, J. U. D. & P. P. ut elapsô Semestri Novellas publicè & Compendium Lauterbachii privatim absolvit: sic tàm quoad cœptas præterea & crastinâ luce resumendas B. C. D. publicas, in qvibus differentias Juri Prutenico cum Romano intercedentes diebus ☽. ♂. ♃. & ♀. pomeridianâ horâ IIdâ discutit, quàm circa privatas ad Hoppii

Exa-

Examen Institutionum lectiones continuationi sedulò vacabit, libellum adhæc Pufendorffii de Off. Hom. & Civ. cognitionem Juris naturalis comparare sibi gestientibus explicaturus.

CONRADUS Stein / J. U. D. & P. P. Strykii Examen juris Feudalis publicè enodabit, nec operam suam privatam desiderantibus deerit.

THEODORUS Boltz / U. J. D. & Prof. Publ. per instans semestre Collegium Institutionum Juris diebus Lunæ, Martis, Jovis & Veneris horâ septimâ matutinâ continuabit, aliisque laboribus Academicis requisitus aderit.

DANIEL NICOLAI, U. J. D. & Prof. Publ. eas, qvas absolutis Prælectionibus Struvianis præterito semestri explicandas susceperat Juris materias, hoc semestri, qvam primum fieri poterit, publicè tradet.

REINHOLDUS FRIDERICUS SAHME, J. U. D & Prof. Publ. *Privatim* absoluto propediem Collegio ff. Lauterbachiano, *Exercitium Practicum* instituet; *Publicè* hoc semestri *Lectionibus Feudalibus* b. c. d. finem imponet.

GEORGIUS Schultz / U. J. D. & P. P. *Publicè* ab hora IX. ad X. *de Actionibus* juxta ordinem à B. Dn. Brunnemanno quondam in gratiam Auditorum demonstratum fusius disseret; *privatim* verò absolutis præterito semestri *Institutionibus Juris*, instante semestri *Doctrinam Pandectarum* Jac. Frider. Ludovici, Professoris Hallensis concinnâ brevitate conscriptam explicabit, succinctasque Annotationes Dominis Auditoribus in calamum dictabit.

GEORGIUS CHRISTOPHORUS GRUBE, J. U. D & Prof. Publ. ad desiderata qvorundam Juris studiosorum *privatim* Collegium ad *Examen Institutionum B. Hoppii* propediem aperiet; *in Lectionibus publicis* officio suo nunqvam defuturus.

IOH. GOTTLIEB OLEARIUS, I. V. D. & P. P. notitiam autorum, qui de processu commentati, publicis lectionibus inculcabit. Privatim verò de dirigendo processu, ad ductum *Introductionis Strykianæ*, commentabitur.

JOHANNES ALBERTUS STEPHANI, D. & P. P. Præstitis hoc semestri iis, quæ promiserat, jam Examen juris feudalis B. Stryckii diebus solitis hora 8. explicare meditatur. Privatissimas insuper lectiones ante & pomeridianas sedulus continuabit, daturus operam, ut desideriis Auditorum omni ex parte satisfiat.

PHILIPPUS RICHARDUS SCHROEDERUS, U J. D. & P. P. Qandoquidem Jus Civile, Canonicum & Feudale absolvit, è re fore Cupidæ LL. Juventutis existimat, antequam ipsa Juris N. & G. præcepta aggrediatur, Institutiones Justinianeas ex hoc fonte deducere, ut eo lucidius nobilissimæ illius Jurisprudentiæ partis utilitas, in ipso Jure civili intelligendo patescat. Horas singulis septimanis solitas Locumqve publicis prælectionibus destinatum servabit. Privatos labores qui supersunt pertractandi hoc semestri ad finem perducere allaborabit.

GEORGIUS Rast / Med. D. Profess. Primar. Facultatis suæ Senior & h. t. DECANUS, Monita Medica Waldschmidii, Medicinæ Practico felicioris ac certioris morborum curationis ergo, apprime in praxi observatu necessaria, ab hora secunda pomeridiana ad tertiam, explicabit.

GEORGIUS EMMERICH, Med. D. & P. P. Ord. Sec. Consul Lœbn. præterito semestri Diætetica, Chirurgica & Therapeiam absolvit, futuro publicè Chirurgiam, privatim Casus Medicinales proponet.

MELCH. PHIL. Hartmann / Med. Doct. & Prof. Ord. Tert. perlustratis præteritô semestri æstivô herbis officinalibus, modo reliquas omnes in Prussiâ sponte nascentes cum notis characteristicis ad oculum demonstrabit; meditationesque quasdam de Vegetatione & fertilitate frumenti vel formâ Dissertationum, si Respondentes non defuerint, vel formâ Tractatûs in lucem emittere studebit.

BENJAMIN EWALDT, Med. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ord. Quartus. Per instans semestre *publicè* Celeb. Wedelii *Amœnitates Materiæ Medicæ* notis & observationibus curiosis illustrabit. *Privatim* verò collegia sua medica sedulò non tantùm continuabit; sed & iterùm de novô B. C. D. *Cursum* quem vocant *Medicum*, rogatus à quibusdam Dominis Commilitonibus, propediem inchoaturus.

HENRICUS von SANDEN, Med. D. & P. P. Extraord. Facultatis Medicæ Adjunctus, Auditores suos ad omnes vel à se vel ab aliis instituendas obductiones ducet, illosque ex his in formandis obductionis schedulis instruet. Privatim verò, ut Chirurgiam atque materiam medicam per hoc semestre absolvat, operam dabit.

JOHANNES FRIDERICUS STARCKE, Med. Doct. P. P. ut & S. R. M. in Prussia Aulæ Medicus, præcognita necessaria in Rem Herbariam per tempus æstivum tractabit, privatissimè verò Collegium Chymicum aperiet.

CHRISTIANUS FRIDERICUS Rast / Med. D. & P. P. Extraord. absoluta quinta Medicinæ parte Therapeia, publicis in Lectionibus diebus Mercurii & Saturni ab hora decima matutina ad undecimam, operationes, quas Medicamenta purgantia in Oeconomia Animali exserunt, demonstrationibus Mechanicis enodabit; privatim verò Angeiologiam profitebitur.

CHRISTIANUS LUDOVICUS CHARISIUS, Med. D. & P. P. Examen Physiologicum quod huc usque loco Prælectionum, quovis die Mercurii & Saturni hora secunda pomeridiana *publicè* instituit, non sine fructu, sedulò continuabit. *Privatim* Collegium pharmaceuticum tradet, medicamentorumque virtutes, modum operandi, ac dosin propinandi succinctè enodabit.

GEORGIUS THEGEN, Phil. Pract. P. P. Ord. Academ. Senior & h. t. Facult. Philos. DECANUS, publice Politicæ præcepta legendo & disputando pertractabit; privatim verò, prout jam iterum incepit, si divinum Numen restitutam sanitatem clementissimè conservarit, in Lectioni-

Ctioni=

ctionibus Politico- Historico- Geographicis in omnes Respubl. totius Terraqvei Orbis sedulo perget.

DAVID BLÆSING, Mathem. Prof. Ordin. & Alumn. Inspector, in Mechanicis adhuc occupatus est, quibus propediem finitis, Hydrostaticam, Aerometriam & Hydraulicam, ab hora X. in XI., intra hoc semestre, bono cum DEO absolvere conabitur. In lectionibus cum Alumnis Regiis, crastinâ luce horâ V. matut. compendium Theologiæ Naturalis continuabit, hocque semestri ad finem perducere tentabit, intercalatis sæpe disputationibus ex vario scientiarum genere petitis.

HENRICUS von SANDEN, D. Physices Prof. Ordin. In Physica Philalethæ Basiliensis explicanda sedulo perget, experimenta quovis die Veneris instituturus.

JOHANNES SAMUEL STRIMESIUS, Eloqvent. & Historiar. Prof. Publ. Ord. in Prælectionibus publicis, quibus *Flori Epitomen Rerum Romanar.* Hora IX. matutina, explicat, ad Cap. X. Lib. III. pervenit, integrumqve auctorem, Junio Mense, se absoluturum confidit. Subjunget ei *Antiquitates Romanas Civiles*, publice itidem illustrandas. Privata opera *Antiquitates Romanor. sacras* pertractare meditatur. Collegia item privata in *Fundamenta stili Latini* & *Nova Publica*, sub initium anni inchoata, sedulo continuaturus est.

JOH. BERNHARDUS HAHN, S.Theol. & Phil. Doct. Lingvæ sanctæ ac Oriental. reliqq. Prof. Ord. in *Publicis Prælectionibus* Enodationem LEVITICI hora VIII. mat. continuabit, sperans, Studiosos Theol. inprimis Alumnos Regios, hisce Lectionibus majori, qvam hactenus factum, freqventia interfuturos esse. *Privatim*, præter alia jam intimata, *Collegium Fundamentale Ebræo-Biblicum* propediem inchoabit. Privatissimam quoqve ad Lingvas Orientales manuductionem nemini denegabit.

MICHAEL Gehrke/ Prof. Græcæ Ling. Ordin. Logic. & Metaphys. Substitut. *publice* horâ secundâ pomeridianâ, *Collegium Poëtico-Græcum*, & horâ septimâ matutinâ *Collegium Disputatorium* exordietur, atque hoc semestri, ad finem perducet. *Privatim* quoque *Collegium dialecticum, Analyticum, Disputatorium, Metaphysicum* & *Græcum Fundamentale* in emolumentum Studiosæ juventutis aperiet.

JOHANNES VALENTINUS PIETSCH, Phil. & Medic. Doct. Prof. Poës. Ordin. secundam Pomeridianam horam in derivatorum ex Horatiana ad Pisones Epistola præceptorum explicatione impendet, quorum vim celebrata per omnia secula Flacci Carmina & exempla testantur, valet enim nobilis & scientia & arte Auctor. Cœterum Patria lingua Poeseos regulas tradere auditoribus consilium cœpit.

CHRISTIANUS GABRIEL Fischer/ Prof Phys. Extraord. per æstatem v. D. duo extantiora, imo gravissima Physicæ Sanioris exponet capita. Fluidorum videlicet naturam publice, privatim aëris affectiones ad Physicorum & Mathematicorum sensum ita scrutabitur ut brevibus Celeb. Wolfii præceptis Hydraerometricis interveniente locupletissimo Antliæ, Thermometrorum, Barometrorum aliorumque instrumentorum hydraërometricorum apparatu, experientia substruatur uberior. Horis subcisivis hortum suum Botanicæ curiosæ accommodatum medicinæ studiosis aperiet.

M. HEINRICUS OELMANNUS, Phil Prof. Publ. præterlapso semestri, *publice* ex Phil. Instrum. & Elementis Phil. Pract. D. Joh. Franc. Buddei LXIV. quæstiones, hoc tempore vexatas, explicuit, & *XVI. Disputationes*, in Auditorio publ., de iis habuit; in quo labore, b. c. D. perget, substiturus, loco quæstionum ex Philos. Pract. Controversias recentiores, physicas, metaphysicas & rhetoricas. *Privatim* in cursu Philosophico, *Dialecticam, Analyt., Ethicam* atque *Politicam*, prout utraque posterior ad *Jus Naturæ* respectum importat, absolvit; *hoc semestri*, duce Deo, *Philosophiam Naturalem*, ductu Joh Henr. Sviceri vel Sturmii, & *Theologiam Naturalem*, ad mentem Illust. Dn. Thomasii, in *Instit. Jurisprud. div. l. 1. c. 1. in notis ad* § 22. & *cautelis circa Studium Metaph.* expressam, traditurus, nec *Collegia Philos. alia* desideraturis, vel publ. disputaturis defuturus.

M. THOMAS BURCKHARDUS, Prof. Poes. Publ. artificium imitandi Poetas Germanorum optimos publice ab hora 2-3. Diebus Mercurii & Sabbathi in ædibus suis ostendet. Privatim Collegium Oratorio-Teutonicum, Dialectico-Analyticum, & denique Poetico-Germanicum propediem aperiet.

CHRISTOPHORUS Langhansen/ D. Mathem. P. P. in prælectionibus Publicis Geometria absoluta ad Elementa Mechanicæ perget. Privatim cursum mathematicum continuabit; novum quoque Collegium Algebraicum selectis quibusdam Matheseos Cultoribus aperiet.

JOHANNES ADAMUS GREGOROVIUS, Phil. & J. U. D. P. P. Juris Naturæ & Gent. Absolutis præterito semestri *Fundamentis Juris Naturæ & Gent. Thomasianis*, præsenti ejusdem illustris Autoris *artem ratiocinandi* quam Germanicè die Vernunfft-Lehr inscripsit, utpote sororia cum Philosophia morali nexu conjunctam, publicis lectionibus horis locoque solitis explanabit. Privatissime sibi concreditæ juventutis commodis sedulo invigilabit. Disputationem *quartam & quintam de Habitu Juris N. & G. ad Rempubl.* typis jam expressas propediem publicæ luci sistet.

JOHANNES BEHM, D. Græc. Lingv. P. P. Lectiones consvetas ex Antiquitate Græca sedulo publice hora VII continuabit. Privatim propediem canones Philologicos ad ductum M. C. Stockii in Interprete Græco exponere eorundemque applicationem in N. T. indicare conabitur.

ABR. WOLFIUS, H. L. P. P. publice in explicando Cohel. præterita hebdomade jam cœpit pergere: privatim absolvit Græcum; tria Hebraica sedulo continuabit. Insuper Fundamentale, ceu vocant, desiderantibus aperiet.